Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 3061

Quelle:
Copyright:

novum Alphabetum conderet, et loca *Codicis* non pauca nostris literis rescriberet, quae in ejus Adversariis reperta, ut sua cuivis merito laus sit, gratus hic prodo. Est vero *Codex* iste nihil aliud, quam *Lectionarius*, qualem v. g. habes in *Pamelii Rituali SS. PP. Lat.* T. II. et aliis. Init autem literis miniatis: *In die sancto pasche secundum Marcum. In illo tempore. Maria Magdalena. et Maria Jacobi et Salome emerunt aromata vt venientes vngerent Ihesum* &c. usque ad verba C. 16. *v.* 8. *sicut dixit vobis.* Atque ita ordine temporis progreditur usque ad *fol.* 85. ubi ultimum p. 1. Evangelium: *in assumtione sancte Marie secundum Lucam. In illo tempore intrauit Ihesus in quoddam Castellum* &c. usque ad verba C. 10. *v.* ult. *que non auferetur ab ea.* His continuo subjunguntur alia manu, sed iisdem characteribus, minoribus tamen et atramento saturatiore *Adnotationes* quaedam superstitiosae medicae sermone partim *Francico*, partim *Latino*, quarum initium: *Totes fevres garir — — a premieres de — — — — si croit en ces choses bis ter dites en l am — — — et de nostre dame et des sans et de sa — — — ave — — ter — — in nomine patris et f. et s. s.* &c. *Foliis* demum 2. *ultimis* Excerpta leguntur ex *Antiphonario*, quorum istud Specimen:

Ramus florens et onustus. Rubus ardens non combustus
Matrem signat Virginem.

Que intacta concepisti. Virgo manens peperisti
Deum atque hominem &c.

Ad calcem porro *Codicis* literis latinis, manu Sec. XIV. ut videtur, adjectum est: *Liber sancte marie de vilari in brabantia.* Est vero Coenobium *Villariense* in Praefectura *Genapiensi* situm prima *Cisterciensis* Familiae in *Belgio* Colonia ab ipso D. *Bernardo Claravalle* an. 1146. aut 47. missa, cujus Historiam texit *Ant. Sanderus Chorogr. sacrae Brabant.* T. I. p. 417. atque hinc pace *Baudelotii*, qui ob horridulos characteres patriam Libelli *Germaniam* innuit, eum in *Franciam* aut *Belgium* remittemus, iis etiam fulti, quae superius *Francica* ex eo adtulimus. Cur vero in re tam publici et expositi usus, ut sunt *Lectionaria*, Librarius literis arcanis uti voluerit, difficile dictu est. Specimina ad eas accedentia apud complures *Steganographiae*, *Cryptographiae*que Tractatores frustra indagavimus, quo successu etiam *Novum de Diplomatica Tractatum* gall. et Cl. *Astle Originem et Progr. Scripturae* anglic. evolvimus.